



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Kunegundis Augusta V. 3. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

148 VITÆ SANCTORUM. 3. Mart.
mane, & ad aram ipse quoque victima
placidissimâ morte procubuit. Ex Swic.

Magna & rara virtus est, ut magnalitet operantem magnum te nescias, & manifestum omnibus tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. S. Bern. serm. 13. in Cant.

S. KUNEGUNDIS AUGUSTA V.
3. Martij.

Nulla tam in diademate KUNEGUNDIS gemma, quam in ipsâ KUNEGUNDE virginitas splenduit; quæ ut calli oculos mirè recreavit, ita Cacodæmonis usque adeò perstrinxit, ut, quando extinguere non poterat, offuscare saltem sinistris apud animum HENRICI suspicionibus sit admissus: sed provocavit ad flammam iudices innocentia, & innocens à ferro candenti pes egregium inculpato animo testimonium dixit. Porro cum tori castissimi custodem mors abstulisset, verita KUNEGUNDIS tantum thesaurum mundo concedere, in Causungensem, quem ipsa struxerat, Parthenonem cum eo se abdidit; cuius disciplinam cum Uta neptis ejus laxaret, verbis sæpius nequidquam increpitam, tandem etiam manu objurgavit & digitorum luculentas notas in genâ icter reli.

4. Mart. VITÆ SANCTORUM. 149
reliquit, nullâ deinceps arte confusas vel
deletas. Morituræ de cælo Henricus ob-
viam iit, ad sistendum ludici orbis mi-
raculum, Impératores conjuges sed
virgines: ad tumulum ejus multis vita
reddita; qui cùm KUNEGUNDEM ma-
trem suam salutarent, probarunt imme-
ritò virginitati sterilitatem objici; quid?
quòd nec ipsa gleba, sub quâ virgo cu-
bat, infecunda fuit, sæpe in thus & far
conversa, persuasura mortalibus, nec
fragrantiozem esse castimoniâ virtutem,
neque felicius ullum germen. *Ex vitâ
apud Greterum.*

*Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel
malè credendo famam nostram decolorare
conantur, adsit conscientia solatium,
quòd merces nostra magna est in cælis,
etiam cùm dicunt homines multa mala de
nobis piè tamen justeque virventibus. Aug.
de bon. Viduit.*

S. CASIMIRUS CONF. 4. Martij.

CASIMIRUS Casimiri Regis Polo-
niæ F. necdum ephebis egressus in
ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus.
Coronam Ungariæ quanto alii studio vel
ambire vel rapere solent, tanto ille re-
pellere à capite suo adlaboravit. Summâ
hyeme nudis pedibus noctu templa obi-
bat; purpurâ non corpus, sed cilicium
tegebat: somnum humi capiebat,
K 3 gnarus